

Q. D. B. V.

E SACRA POLITICA

84a

DAVIDIS PER- SECUTIONEM,

NUPERO DRAMATE EXHIBITAM

SUB MODERAMINE

CHRISTIANI WEISII, RECT.

DENUO REVOCABUNT

AD

CATHEDRAM ORATORIAM

EAMQ;

d. 18. Mart. M D C L X X X I I I.

HORIS POMERIDIANIS

LOCO SPECIMINIS VALEDICTORII

VENTILABUNT

E GYMNASIO PATRIO

DISCESSURI

OPTIMORUM PARENTUM

FILII

JOHANNES SIEGFRIED NESENIUS.

JOHANNES FRIDERICUS GERBER.

JOHANNES PHILIPPUS KRODEL.

JOHANNES HENRICUS LANKISCH.

ZITTAUÆ,

TYPIS MICHAELIS HARTMANNI.



SAcram Politicam nominavimus in titulo, unde Actus noster Oratorius capere velit Argumentum. Sed displicebit forte confusum hoc nomen: iis præsertim qui Politicam, ejusque nobiliorrem partem Statisticam sacris literis credunt sive contrariam, sive ignotam. Quamobrem alienum haud fuerit in solenni hac præscriptione, titulum Paradoxo simillimum interpretatione minus invidiosâ tueri. Et vero Politicam omnes vocant eam Prudentiam, quæ commodis publicis intenta, non solum mediâ proponit ad Statum conservandum idonea, sed etiam Personas instruit, quarum dexteritati mediorem hic usus debet committi. Jam ista doctrina non affert Regulas semper in se primas & claras, quin potius aliarum disciplinarum subsidio fulta, medios terminos ibi conquirat, ubi de actionum humanarum decorâ honestate, ac honesta necessitate agitur. Inde aliqui ad Ethicam se conferunt, Jurisque naturalis dictamine excitati, quicquid Gentiles Philosophi docuerunt, quicquid eorundem sectatores Historici variis exemplis confirmarunt, uno verbo quicquid hominibus unquam placuit, fundamenti loco substernunt. Alii vicissim conjectis in Moralem Theologiam oculis, Præceptorum & exemplorum farraginem sibi fœnerantur, quibus adjuncta Prudentia Politica firmiter incedere discat. Proinde ut Oratores unius thematis varia argumenta sectantur, quibus tamen una præfigitur meta, ut conclusionis appareat veritas; ita Politici suum fecisse officium videntur, quoties solidiorem Prudentiæ doctrinam sequuntur, sive lumen accenderit ratio, sive revelatio. Nam, ne quis nova & insolita nos dixisse opinetur, de Magistratibus pulchrè differunt Aristotelici: neque tamen hunc Articulum repudiant Theologi. Illi Magistratibus honorem vindicant, quod aliqui rumpatur publicum societatis vinculum, cujus gratia homines orbem terrarum creduntur implevisse; Hi dignitatem inter homines præcipuam agnoscunt, quod a Deo constituta, divinisque mandatis firmata est. Idem utrinque docetur, sed diversis rationibus. Plane ut ejusdem naturæ piscinas colligere possumus, hic e torrentibus pluvialibus, ibi e scaturigine. Certior vero semper est Doctrina, quæ Auctorem habet infallibilem, quam quæ nititur ingenii cuilibet deceptioni obnoxiiis. Ut adeo in perfectissimâ Rerump. h. e. in Judæorum Theocratiâ Rex sive Princeps ad perpetuam Legis inspectionem a Deo ablegaretur, quod deceret Personam nobilissimâ Prudentiâ instruendam e nobilissimis etiam Principiis proficere. Et vero quoties docendæ Politicæ partes olim mihi patiebar imponi, non quidem abnuebam, prorsus generalem hujus Prudentiæ esse circuitum, ut dici nihil deberet, quod pari modo non quadraret ad Christianos in Europâ dominantes, & ad Barbaros in extremis Asiæ vel Africæ laciniis potentes: quamobrem fatebar, opus esse principiis quæ utrinque, tanquam certa & indubitata colerentur. Interim id simul mone-re memini, multos ideo ad hanc Prudentiam accedere, non ut in Aula Sinen-si vel Japoniensi arcanis epistolis vellent præfici, sed ut in medijs Christiano-rum territoriis cum iis aliquando haberent commercia, quos divina & revelata Auctoritate liceret refellere. Ergo suis quidem studiis injuriam facere nul-lam, qui cuperent audire Politici Christiani. Addebam & hoc, falli sæpe dicta-men, quod vocant, rectæ rationis, præsertim si quis Grotii sectator jactitet Con-sen-

ſenſum Gentium, quas an ratio duxerit recta, an corrupta, nondum exploratum eſt. Hic tamen fallaciis optimam dari medelam, ſi ad Lydium revelationis Lapidem examinetur Rationalis Intelligentia: ſic enim majori fiducia poſſe inculcari naturæ dictamina, ſi jam aliunde conſtaret eorundem certitudo. Et proinde facere talia, non ſemper ad Auditorum profectus, qui poſſunt eſſe Gentiles, aſt ad Informantium majorem alacritatem, quorum laboris nimium provehit conſcientiæ conſenſus. Plura in hanc rem dixi, cum ultimo Politicæ Profeſſionis anno Diſputationem e Politica Chriſtiana depromptam publice proponerem, adeoq; genuinum tituli ſenſum ſimul perſequerer. Sed nolim eo extendi meam philoſophandi libertatem, ut illi vel minimum ſperent patrocinium, qui tum Libros Regum, tum alias Spiritus S. paginas ad Commentarios Statisticos condemnant, quales hæcenus communis Politicorum Martyr Tacitus & bonos & malos ſuſtinet. Ut enim errant, qui Phyſicam Moſaicam admirantur, nihilq; recipiunt, niſi cujus veſtigia monſtraverit Vir Sanctiſſimus, quantum ego judico monſtrandis Meſſiæ typis intentior; ita major eſt injuria, Deum facere Scripti auctorem, unde Machiaveli Princeps augeri queat, forſan & confirmari. Propoſita fuit Historia Regum, ut Veteris Teſtamenti conditio cognoſceretur, ſimulq; Novi Teſtamenti Civibus pateret Religionis & Eccleſiæ Status, quem boni malive Principes sæpe mutant, ſic tamen, ut meliora ſperare, pœnamq; adverſariis prælagire poſſint credentes. Is Libri ſcopus Lectorem detineat; eas Virtutes ſectari, ea ſcelera deteſtari, eam patientiam induere, eam conſtantiam probare diſcamus. Cum ex adverſo verendum ſit, ne Chriſtianus Chriſtum e paginis amittat, in quibus expreſſum captare voluit Machiavellum. Incidit hoc loco ampliffimus in Petronium Arbitrum Commentator, qui cum noſſet dignum hunc Scriptorem, ut reſidua fragmenta flammis ultricibus conſecrarentur, neceſſariam dictitavit ejus conſervationem, quod maximam afferret lucem primo capiti Epistoſe ad Romanos, ubi beſtialitatum à Gentilibus libidinofis commiſſarum injicitur mentio. Nimirum de incomparabili hac Epistoſa foret actum, niſi lucem accendiſſet Diaboli Coryphæus. Aſt ſi Petronius illuſtravit Scripturam, juſta æquitate lege nunc poſtulari ſcilicet poterat a Libro Sacro, ut viciffim fraudibus ſub larva Politica graſſantibus ſplendorem, forte & excuſationem indulgeret.

Sed redimus ad rem noſtram, & quando perluftrari nunc debet Davidis Perſecutio, quam in Dramate nuper exhibito non ſine omni plauſu dimiſerunt Spectatores, libet in hoc Exemplo rimari Politici diſcentis officium. Statistica Titulum habet *DE AULICIS*, quin & Titulum Generaliorem *DE PERSONIS IN QUACUNQ; REIP. FUNCTIONE CONSTITUTIS*. Harum conditionem tradere non poteſt, quin ſimul reſpiciat Pericula, quæ imminent à Perſecutoribus. POLITICA HUMANA ſi rem Exemplis probare velit, ex aula Romana *Sejanum*, è Conſtantinopolitana *Belifarum*, ex recentiore Gallica *Bironium*, *Aneraum*, *Luyneum*, *Mazarinum*, *Fouquetium*, alioſq; nominabit, quorum aliqui fortunæ ſuccubuerunt, aliqui malum rejecerunt in Adverſarios. POLITICA SACRA proferet in Aula Philiftæa *Abrahamam*, apud Aſſyrios & Perſas *Danielam*, & præcipuè exoſum Regi Saulo *Davidem*. Porro cum ad Principia fuerit deventum, Politica humana cauſas perſecutionis afferet, *INNATAM REGIBUS SUSPICIONEM, AVARAM AULICORUM INVIDIAM, TACITAM ÆMULORUM INDIGNATIONEM*. Politica ſacra, etſi non abnuet, Saulum timuiſſe creſcentem Davidis Potentiam, Duces bellicos ægre tuliffi ſucceſſus Davidicos, Regiamq; Familiam ſuæ ſortis hunc inimicum, ſi vel maxime innocentem, è medio voluiſſe ſublaturum: tamen è Sacro textu profundiora conferet, ideo Regi ſubnatam ſuſpicionem, *QVOD DESERTUS à DEO MALUM SPIRITUM PATERETUR ANIMO DOMINANTEM*, ideo Davidis laboraſſe innocentiam, *NE SUPERBIOREM*
RED-

**REDDERET REGNI EXPECTATIO, NEC, QUI TOTIES AUXILIA
 DIVINA SENSISSET, IN IMPERIO NESCIRET OPTIMUM SUI
 THRONI ADJUTOREM.** Unde Regium fuit Dogma, utinam ab ijs Po-
 liticis observatum, qui mirantur magnos Ministros in exitu infelices: **ER-
 RORES CUMULAT à DEO QUI DEFICIT:** quin & aliud æque
 Politicum: **CALAMITAS DICI NON DEBET, QUÆ FIRMIO-
 REM REDDIT & PRUDENTIOREM.** Ultimo, cum in media inqvi-
 ritur, quibus superari vel averti solet extremum Persecutionis periculum, quid
 docere potest Politica humana, quod è sacra Politica non exhibeat Historiæ Da-
 vidicæ meditatio. **FUGIEBAT, PLACIDE RESISTEBAT, IGNOSCEBAT.**
 Et o felices vero Politicæ Studiosos, si etiam sacra Læctione admoneantur, uti-
 lem esse Scripturam ad Doctrinam. Interim qui accurata speculatione propo-
 neret fallendi artes, dum Saulus à Davide dotis loco petijt centena Philistæorum præputia,
 ratus in eo opprimendo hostes fore felices; dum voluit esse Generum, ut tanto securius occum-
 beret; dum simulavit insaniam, ut hasta inopinantem honestius transfoderet, quis credat
 ideo ab Amanuensi sacro fuisse annotatas, ut iis admirandis jmo & imitandis
 opera detur. Acclamat divinus Liber singulis discentibus:

Disce Puer Virtutem ex me justosq; labores,

Sed fraudem ex alijs -- --

Ac ut tandem progrediar ad ipsos Peroratueros, qui discessum è Patria facien-
 dum, ultimo specimine **PATRONIS, FAUTORIBUS & AMICIS**
 commendare cupiunt: illi certe crediderunt tanto feliciorum suam fore condi-
 tionem, quanto certioribus præfagijs uterentur, è Libro felicitatis indice. Quam-
 obrem hoc ordine procedent, ut Primus **HOMINIS POLITICI CA-
 LAMITATEM** explicet, quam ab aliorum **SUSPICIONE, INVIDIA ET
 ÆMULATIONE** habet expectandam; Alter Persecutionis remedium esse
 dicat **FUGAM**, non eam modo **CORPORIS**, sed **ANIMI**, quam Politici
 vocant **DISSIMULATIONEM**, Theologi attingunt, cum agunt **DE COM-
 PESCENDIS & RETRAHENDIS DESIDERIIS**; Tertius quantum li-
 ceat **MODESTE RESISTERE** dicitur, laudatq; **CONSTANTIA &
 FORTITUDINE** Desperationis ac ignaviæ turpissimam faciem exagitet: Ul-
 timus **IGNOSCENDI PROMPTITUDINEM** breviter attingat, ne,
 quod temporis est reliquum, eripiatur Sermoni valedictorio. Daturi omnes
 sunt operam Studio Politico & Juridico. Itaq; honestum fuerit animos in me-
 liora fundamenta pronos, præsentia & benignitate reddere paratiores. Quin
 & suis **PATRIBUS**, tuis **MATRIBUS** gaudent adhuc singuli, ut si forte
 mea Præceptoris officia non sufficiant in reciprocam hujus bonitatis exolutio-
 nem, ostendere liceat Personas nec in deprædicando immemores, nec in de-
 merendo minus validas. Uno verbo: sunt Zittani, ac integro quinquennio, quo
 Rectoris gero provinciam, mei fuerunt Auditores. Inde qui Patriam amat,
 cui Schola cordi est, qui furculos a me sive plantatos sive excultos non contem-
 nit, causam habet apertissimam, cur exigui temporis usuram nobis concedat.
DEUS vero Consiliis nunc expediendis eam inspiret salutem, ut Jenenses de
 Zittanorum Filijs, Zittani Parentes de Jenensium incolumitate gratulationes in-
 geminent: tandemq; felicior reditus tot precum & suspiriorum Filios, pro-
 prioribus Patriæ utilitatibus commendet. P. P. e Gymnasio d. 17. Mart.

M DC LXXXIII.

